NONNULLA
DE
RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT

SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS HELBIG

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. FERRARI, MED. ET CHIR. DR.

A. WEESE, MED. ET CHIR. DD.

B. HENKELMANN, STUD. ARCHIT.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

AVUNCULO

HUMANISSIMO, DILECTISSIMO

FR. KUSCHEL

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Nomen rheumatismi veteres medici haud dubie non ignorabant, nam in Taciti operibus memini legisse, permultos milites exercitus Romani, in Germaniam proficiscentes, doloribus quum in omnibus corporis membris, tum in thorace tam vehementer affectos esse, ut progredi non possent. Ac Tacitus quidem, nisi memoria me fallit, formam morbi nominavit: „vehementissimam fluxionem omnium corporis partium.“ Sed haec verba de morbo descripto tam obscure dicta sunt, ut fere quicunque morbus intelligi possit. Nec minus a medicis recentioribus expositum est, a medicis veteribus in describendo morbo rheumatismum confusum esse cum catarrhis, phlegmone, phlebitide, periphlebitide, pyaemia, neuralgia trigemini, ischialgia, irritatione spinali multisque aliis morbis. Causa hujus erroris in eo posita esse videtur, quod veteres naturam rheumatismi praecipue in vehementissimis articulorum artuumque doloribus sitam putabant, quamobrem multi ex talibus doloribus orientes morbi huic ordini adnumerabantur. Primus autem Cullen nostrum morbum ab arthritide

sejunxit, simulque opus egregium scripsit de rheumatismo articulorum et acuto et chronico, sicut de musculorum rheumatismo, quod fundamentum fuit posteriorum studiorum. Post eum Stollius ad differentiam rheumatismi et communis inflammationis animos medicorum advertit. Praeterea multa opuscula de rheumatismo articulorum acuto in lucem edita sunt, quae a prioribus haud multum discrepant. Quamvis vero multae inquisitiones factae sint, studia tamen pathologiae ipsius rheumatismi neglecta sunt et ipsum opus excellens illius Chomel (Essai sur le rheumatisme. Paris 1813) illam morbi partem nullo modo respexit. Bouillaud primus in disceptationem subtilissimam vocavit hunc morbum et in operibus suis (Novelles sur le rheumatisme articulaire et aigu et sur la loi de coincidence de la péricardite avec cette meladie. — Traité clinique du rheumatisme. Paris 1836) omnia morbi symptomata plane exposuit. Primus enim ille fuit, qui animos medicorum in frequentem complicationem pericarditidis et endocarditidis cum rheumarthrorsi acuta intendit, simulque genesin morbi excellentem emisit. Mox in Gallia et in Britannia aliae super alias de rheumatismo dissertationes accumulatae sunt, sed nihil novi afferentes.

In Germania autem Froriep ceteras mutationes ex rheumatismo in diversis organis oriundas accuratius inquirebat et paullo post illud praeclarum opus „die

rheumatische Schwiele" edidit. Deinde Virchow, Kussmaul, Griesinger, Wunderlich de illo morbo opera commendatione dignissima scripserunt. Ubi primum vero medici morbi symptomata perspicue intellexerunt, id egerunt, ut medicamentis uterentur, quibus morbus removeri posset. Sed quum magna esset medicamentorum copia, quae ad morbum depellendum commendabantur, satis erit, pauca gravissimorum hoc loco attulisse.

Primus Dance magnopere commendavit (Archive génér. A. XIX. 485. 1829) tartarum emeticum dosibus magnis dandum, deinde Bouillaud venaesectiones saepe repetendas praecepit, tum Corrigan opium (Dubl. Journ. XXXVI. 266. 1839) proposuit, denique Briquet chinium dosibus magnis porrigendum celebravit. Sed pleraque medicamenta, quae modo diximus, sunt deposita solumque chinium magna admiratione etiamnunc frui videtur. Nuperrime colchicum optimum medicamentum praedicatum est, ac sane jam plurimi medici illo utebantur, sed tamen mox declaratum est, medicamentum nullo effectu esse, ita ut hoc tempore a perpaucis medicis adhibeatur. Plerique autem medici praesenti tempore exspectantes rheumatismum curant et periculosa symptomata secundum diversas indicationes deprimunt. Tali modo laudabiles effectus impetrari occasio mihi data est in clinico Ill. Frerichs perspicue videndi. Quo facto

mihi propositum est, specimina hujus generis describere et therapiam accuratius explanare.

Quod attinet ad naturam morbi per complura saecula medici ad eam sententiam inclinabant, rheumatismum morbum specificum esse et fere omnia morbi symptomata in quadam materia rheumatica esse sita arbitrabantur. Quam materiam morbo organorum cutis excretoriorum produci opinabantur, quum materia cutis perspirabili retenta anomala sanguinis compositio exoriatur. Sed Schoenlein et ejus discipuli, hac opinione veterum rejecta, symptomata rheumatismi contenderunt in mutatione electricitatis cutaneae verti. Verum haec quoque sententia tantum per aliquod tempus magna fuit auctoritate, nam rationes prolatae sunt, quae nemini necessitatem sibi persuadendi ingerebant. Praesenti tempore medici, qui in illa quaestione exquirenda se collocarunt, materiam peccantem in communi inflammatione ponere student. Quod ad hoc tempus nondum argumentis confirmatum est. Est autem nostrae aetatis hac de re accuratiores atque firmiores disquisitiones facere. Fuller in opere suo (on rheumatism, rheumatic gout and sciatic, their pathology, symptoms and treatment. London 1852) omnino discrepans a prioribus auctoribus affirmavit, rheumatismum effici acido lactico in sanguine abundante. Sed quaeritur, num haec opinio habenda sit recta, nam nondum exstant argumenta gravia. Meo

autem judicio illa sententia jam eo dubia est, quod morbi sunt, in quibus ut in diabete acidum lacticum abnorme est, neque tamen symptomata reperiri possunt, quibus similitudo aliquapiam cum rheumatismo est. Richardson tentamentis in canibus factis nuperrime affirmavit, opinionem Fulleri verissimam esse. Attamen paullo post a Dr. Muller comprobatum est, illa experimenta veritate plane carere.

Rheumatismo articulorum acuto evidentem perfrictionem semper antecedere puto. In undecim hujus morbi exemplis, quae partim in clinico hujus urbis, partim in nosocomio Gryphiswaldensi mihi erat occasio observandi, semper gravis perfrictio inveniri potuit. Tantum ii aegroti, qui rheumatismo iterum iterumque affecti sunt, non semper dici potuerunt eminenti perfrictioni se exposuisse. Ceterum illam vehementem perfrictionem ad repetendum morbum necessariam esse nego, nam in organismo, in quo mixtio sanguinis priore rheumatismi affectione proclivis ad hunc morbum facta est, jam minima incitatio satis est ad revocandum morbum idque vehementissimum. Aegroti enim — ex experientia cognitum est — vicissitudine tempestatis et vicissitudine anni temporum denuo in eundem morbum facile incidere possunt, quum eo ipso tempore perfrictio quam facillime oriatur. Homo si in perfrictionem eminentem incurrit, temperationem corporis alterari constat. Quum autem

effectus frigoris continuus est, commutationes sanguinis fieri necesse est, quae mea quidem sententia ad albumen fibrinumque sanguinis referri debent. Sanguinis vero mutationem exstare ex eo intelligi potest, quod omnino quam minima abnormitas cursus vel compositionis sanguinis ingentem organismi turbationem adducit. Albumen autem mutari inde dispici potest, quod, si illud per unam vel duas horas artificiali frigoris mixtioni exponimus, in medio fluido cuneatas bullas conformari videmus, quarum consistentia major est quam reliqui fluidi. Quam opinionem hoc loco tantum leviter tangere possum, quod me deficit acuta inquisitio et id, ex quo perspici potest, prorsus suppetit. Ceterum mihi hoc loco non propositum est hanc partem scripti mei accuratius explicare. Postea autem, quum mihi melior occasio fuerit hac de re me instruendi, sententiam meam plane explicabo.

A multio medicis caussae rheumatismi articulorum acuti magnae musculorum contentiones habitae sunt. Haec opinio nondum approbata est; mea ex sententia sine ullo dubio non recta cognosci potest. Illud dubitari non potest, quin forsitan perfrictione antegressa et magnis laboribus molestiisque musculorum sequentibus rheumatismus multo vehementior et periculosior exsistat. Nec minus suppressa menstrua, narium haemorrhagia, neglecta diaeta, motus animi caussae nominata sunt,

quae sententia utrum probanda sit, annon, missum facio.

Maximo jure rheumatismus articulorum acutus adnumeratus est morbis sanguinis. In decursu ei quaedam similitudo est cum morbis e miasmate orientibus, ut typho, cholera. Pleuritis, pneumonitis, endocarditis et rheumatismum et typhum complicant. Attamen rheumatismus valde differt ab illis morbis ac praecipue eo, quod hae complicationes, simulatque ad illos accedunt, paene semper mortem afferunt, dum in rheumarthrosi acuta aegrotus mortem raro obit. Vidi in clinico Ill. Frerichs rheumatismo articulorum acuto laborantem, qui primo endocarditide et pleuritide affectus, postea symptomatis febris septichaemicae vehementissime oppressus, intra sex vel septem hebdomades e morbo convaluit. Si typho laborans homo his complicationibus, quas modo dixi, afficeretur, mors certo praedici posset. His factis hypothesis confirmari videtur, in rheumatismo articulorum acuto mutationem sanguinis multo minorem esse quam in typho. Materia, quae ad generandum rheumatismum in sanguinem transit, non est eadem, quae in typho. Typhi materies majores efficit sanguinis commutationes quam illa rheumatismi. Tantum ex his differentiis declarari potest, morbos in singulis symptomatibus et in complicationibus consentientes in decursu inter se plane discrepare. Nempe ad hoc tempus nondum disquisitum

est, quae chemica vel physica mutatio in typho et quae anomala compositio in rheumatismo articulorum acuto locum habeat. Attamen ex omnibus, quae symptomata offerunt, gravem differentiam inter hos duos morbos exstare intelligendum est.

Exitum lethalem, ut supra jam commemoravi, rheumarthrosis acuta raro secum fert, atque doloribus articulorum et febri et complicationibus aegroti plerumque bene defunguntur. Attamen Bouillaud omnino insanus esse videatur contendens, sua therapia neminem aegrotorum rheumatismo laborantium mortuum esse. Periculum occumbendi tum maximum est, quando morbis cordis jam laborantes rheumatismo iterum afficiuntur. In hujusmodi casibus Vogel aegros e vita celerrime discedere vidit, quamquam rheumatismus nequaquam symptomata intensa obtulerat. Porro Vogel commemorat, exitum lethalem bis vel ter inter copiosum sudorem et eruptionem miliariae, morbo cordis non exstante, subito collapsu adductum esse. Caussa repentino moriendi, ut Vogel existimat, ponenda est in valde anomala sanguinis compositione, unde fit, ut totus hominis organismus, modus nutriendi plane mutetur.

Rheumatismo affecti articuli saepe intumescunt. Intumescentia vero non constat e fluidi transsudatione in cavum articuli, sed ex effluvio fluidi inter telam capsulae articularis, vel inter hanc texturam, quae articulis

vicina est, ut inter telam cellulosam, vel inter musculos. Rubor intumescentium partium raro exsistit, his casibus exceptis, in quibus dolores vehementissimi et fulminans febris adsunt. Dolores articulorum fluxi sunt, quo accidit, ut modo vehementissimi sint, modo quasi exstincti.

Exempla morbi sunt, in quibus intumescentia unius vel duorum articulorum continua est et in quibus alia symptomata rheumatismi deficiunt, quo fit ut rheumatismus articulorum acutus non animadvertatur. Specimen hujus generis in clinico Ill. Frerichs observavi. Aegrota prae gravibus doloribus genuum, paullo post humeri ire et brachium movere non potuit. Membra eadem intumuerunt. Febris et alia symptomata mediocria fuerunt, intumescentia vero continua facta est. In alium articulum morbus non ingruit. Si in tali rheumatismi casu cura non diligentissima est, timendum est, ne in articulos invadat suppuratio et omnes mutationes pathologicae, quae cum illa saepe conjunguntur. Nostra patiens hirudinibus in articulis collocatis et vesicatoriis tractata est; effectus fuit prosperrimus. Frerichs hac data occasione animos medicorum eo attendit, quod hac in forma rheumatismi pericarditidem et endocarditidem oriri nunquam observaverit. Attamen articuli maxima cura tractandi sunt, quoniam facultas membrorum movendorum, quin etiam vita in periculo versari potest.

Plerique medici recentiores in rheumarthrosi acuta musculos incolumes putabant. Wunderlich autem dicit, musculos ibi tanta inflammatione affici, ut textura eorum sero sanguinis et sanie pervadatur. In illo libro de pathologia et therapia scripto morbi historiam hujus generis documentum affert. Attamen a praeceptore mihi maxime venerando Meyer id monitum est, in isto casu de rheumatismo articulorum acuto non actum esse, sed ad exstantem pyaemiam pus in musculis ortum referendum esse. Ex sententia Meyeri in casibus quibusdam myitis exstat, ita ut vaginae musculorum et tela interstitialis inflammatione afficiantur, quae vietae factae adhaerentem cicatricem formant. Eadem mutatio in musculis cordis inflammatis inest. Nunquam myocarditide abscessus cordis, sed cordis callus sese evolvit.

Symptomata rheumarthrosis omnia ita perspicua sunt, ut de iisdem accuratius dicere non opus sit; sed singula commemorare et historiis morborum illustrare magni momenti erit, quum eadem nonnulli scriptores vel non cognoverint vel negent.

Quo facto in symptomata auscultationis animum intendere volo ex endocarditide et pericarditide pendentia. Dr. Meyer, a quo has historias morborum accepi, quare ei hoc loco animum testificor gratissimum, exactissimas observationes in clinico Ill. Frerichs hac de re instituit. Multi medici concedere noluerunt, rheumatismum inci-

pientem febrilem esse, sed prima symptomata dolores articulorum semper exsistere. Quod generatim rectum dictum sit, sed inter alias morborum historias talem referam, quae sententiae illorum medicorum plane repugnat. Nec minus hic casus eximius est symptomatis auscultatoriis in decursu pericarditidis observatis.

Albertus Blume, pistor duo et viginti annos natus, frigus aliquod passus est in saltando. Aegrotum postridie horripilationibus nonnullis affectum calor sudorque incesserunt. Paullo post dolores regionis inguinalis coorti sunt, hinc in superficiem femoris se extendentes. Tribus diebus post sinister pedis articulus dolorosus factus est; vesperi ejusdem diei etiam sinister genu articulus doloribus correptus est; ambo intumuerunt. Eodem tempore patiens doloribus sinistri lateris thoracis implicatus maximo tantum labore et vexamine respirare potuit; gravior pericarditis paullo post exorta percussione perspicue cognosci potuit. Strepitus frictionis in sinistra margine sternali et in regione majorum arteriarum auditus, sonus cordis occultatus est, ita ut tantummodo sonus secundus auscultandus esset. Haud dubie saepe difficile, quin etiam impossibile dictu, utrum strepitus fricans sit, an conflans, quamobrem endocarditicus strepitus a pericarditico saepe discerni nequit.

In mucrone cordis audiendus fuit sonus obtusus, qui saepe orienti strepitui pericarditico antecedere videtur.

Viginti granis hydrargyri chlor. mit. et viginti granis herbae digitalis intra viginti quatuor horas adhibitis patet ex percussione, extensionem obtusi soni cordis multo minorem factam esse. Novem diebus post unguento mercuriali inuncto exsudatio fluida in tertio et quarto spatio intercostali deminuta erat. Undecim diebus praeteritis post hydrargyrum chlor. mit. adhibitum strepitus plane exstinctus est; in mucrone cordis strepitus systolicus nunc audiendus fuit; in inquisitionibus dierum posteriorum strepitus conflans una cum systole auscultandus. Sonus cordis secundus ubique clarus fuit. Effectus hydrargyri et unguenti mercurialis lentus fuit et propositum non plane impetratum est. Loci enim cordis impulsus non mutati sunt, quamvis omnes strepitus frictionis exstincti sint. Per aliquod tempus inflexio systolica in mucrone cordis animadverti potuit, paullo post elevatio systolica. Itaque cor cum pericardio coaluisse videtur, sed paullo post conjunctio sua sponte dissoluta est. Quinque hebdomadibus interjectis aeger sanatus dimissus est.

Hic casus magni momenti est, quod partim rheumatismus articulorum acutus febriliter ortus est, partim quod tum inflexio, tum elevatio animadversa est. Posterius symptoma non rarius exstare videtur.

Praeterea mihi copia facta est duos alios casus hujus generis in clinico Ill. Frerichs observandi. Hoc loco

breviter commemorare volo casum, in quo inter prodromos rigor et quasi surditas articulorum membrorumque exstitit. Homo triginta annorum vehemens frigus aliquod passus nihil aliud questus est, quam formicationem membrorum. Postea doloribus in articulos invadentibus rheumatismus vulgari modo decurrit. Ista surditas membrorum sententiam affirmat illorum medicorum, qui rheumatismum dicunt e morbo nervorum aptum esse idque e fibris sympathicis, quae ad vasa articulationum adeuntes rigorem efficiunt. Aegrotatio nervorum, ex sententia illorum, e vehementi perfrictione pendet et mutationes articulorum pathologicas perficit, quas rheumatismus secum ducit. Quae opinio utrum sit recta, annon, hoc tempore nondum decerni potest.

Quod attinet ad therapiam, venaesectiones, sanguinis detractiones in singulis corporis locis factae, vesicatoria magno evidentique successu fuerunt. Nimirum affirmari nequit, iis medicamentis porrectis morbum statim subsistere, ut chinio febrem intermittentem. Rheumarthrosis acuta iis morbis adnumerari potest, in quibus sine ullis medicamentis aeger in integrum restituitur. Quamobrem in adhibendis remediis effectus semper maxima cum cautela judicari debet. Itaque multi medici in rheumatismo articulorum acuto nullum remedium proponunt, quamvis haec ratio severior atque durior esse videatur.

Bonume ventum vesicatoriorum et morphii acetici in pericarditide adhibitorum observavi in hoc casu.

Aegrotus quindecim annos natus erat. Priusquam articuli doloribus affecti sunt, aviditas ciborum exstincta erat et imbecillitas totius corporis incesserat. Attamen dolor musculorum colli, antequam symptomata generalia orta sint, describitur. Tribus diebus interjectis articulationis ossium metatarsorum hallucis intumuerunt; postero die ambo articuli genuum et plurimi digitorum articuli, febri orta, doloribus tentati sunt. Doloribus articulorum paullo deminutis patiens tribus diebus post de doloribus regionis cardiacae vehementibus queritur itemque de magna dyspnoea; febris vehementior facta est. Pericarditis percussione dignosci potuit. Eodem tempore exsudatio in cavum pleurae intrat, nec minus aegrotus tussi cum catarrhali, interdum cruenta expectoratione vexatur. Dyspnoea tanta fuit, ut sexaginta vel septuaginta respirationes numerarentur. Tria vesicatoria intra dies tres in latere sinistro posita molestias respirandi et fluidum cavi pleurae minuerunt. Octo diebus post febris vehementior facta est, calor est auctus, extensio soni obtusi cordis increvit, dyspnoea fuit maxima. Sinapismi noctu pectori impositi nihil effecerunt; dyspnoea ad orthopnoeam evecta, facies collapsa est, timor angorque in toto habitu aegroti cognosci possunt. Nunc vesicatorium magnitu-

dine duarum manuum in pectore collocatum est. Magnis vesiculis factis magna levatio laborum atque molestiarum exstitit; postea morphio acetico adhibito postridie numerus respirationum decrevit. Tribus diebus intermissis labores redierunt, dyspnoea iterum aucta est; propter vehementes dolores in latere sinistro ortos sex cucurbitulae regioni cordis aegroti impositae sunt. Effectus fuit vanus. Dyspnoea et calor magis magisque aucta sunt. Iterum magnum vesicatorium in pectore positum dyspnoeam deminuit, multo minus calorem. Aegrotus longe melius se habet. Transsudatio magis magisque decrevit. Quamquam incrementum exsudationis denuo iniit, tamen exiguum fuit et paullo post sublatum est. Aeger per aliquod tempus aqua Wildungensi usus, dimissus est sanus.

Hoc in casu effectus vesicatorii evidens fuit nam deminutio pessimorum symptomatum statim effecta est. In multis casibus constat vesicatoria nihil efficere — equidem insignia ejusmodi exempla observavi —, attamen vesicatoriis semper utendum est, quia talis casus, qualem supra retuli, ad usum remedii magnopere admonet. Venaesectiones quidem in pericarditide factae magni sunt momenti, at vero caute instituendae sunt, neque tales, quales a Bouillaud commendatae sunt. Is quidem affirmavit, ut iam commemoravimus, sua therapia nullum patientem mortuum esse atque aegros mor-

bis, qui rheumatismo se conjungant, ut endocarditide et pericarditide liberos fuisse. Attamen auctoris illius aequales Chomel et Legroux judicarunt, ejus curationem nequaquam periculo vacare et morbos cum rheumatismo complicatos nunquam exstinctos esse. Multum ceterum disputatum est, utrum venaesectiones et missiones sanguinis in singulis corporis locis factae adversus rheumatismum commendandae sint, necne.

Medici hac de re diverse sentiunt: alii enim sanguinis detractiones non necessarias esse, quin etiam plurimum arbitrantur nocere; alii illis utilitatem et salutem afferri censent. Vogel judicat in libro, qui est de rheumatismo, sanguinis missiones vim specificam nequaquam habere, verumtamen multis in casibus ex rectis indicationibus factas maximam praestare utilitatem. Verum est, rheumatismum eventum prosperum sine ullis detractionibus sanguinis capere posse, tamen a viris artis medicinae prudentissimis effectus in rheumatismo evidentissimus observatus est. Itaque semper aptum erit, medicum, quum rectam indicationem invenerit, sine dubitatione sanguinem mittere. Meyer saepius observavit, orientem pericarditidem venaesectionibus plane exstinctam vel multum certe temperatam esse. Idem plures magnas doses hydrargyri chlor. mit., successum sanguinis missionis adjuvantes, intus dari jubet. Sed de quodam ejusmodi casu a Meyer observato fusius disse-

ram simulque strepitus endocarditicos exponam, qui magni momenti sunt.

Aegrotus viginti quatuor annorum saepius doloribus articulorum laboravit, primum sexto decimo aetatis anno, deinde duodevicesimo. Nonnullis diebus ante aeger se aliquod frigus subiisse putat, in laboribus agriculturae occupatum. De doloribus articulationum genuum questus est. Eodem tempore frigus calorque exstistisse videntur. Postea dolores in articulos humeri et manus progressi sunt. Per tres dies in his locis permanentes in columnam vertebralem et in thoracem propagati sunt. Aegrotus medico nunc usus remedia flava accepit, quibus alvum vehementissime purgavit; eodem tempore in articulis columnae vertebralis plures cucurbitulae collocatae sunt. Quum morbus aggravesceret, patiens in nosocomium adductus est.

Status praesens. Aeger satis firmus atque robustus dolores articulationum humerorum manuumque, et in motionibus et in pressu nascentes conquestus est. Motiones, quas ipse faciat, multo dolorosiores esse ait quam pressus articulorum. Posteriores intumuisse non observatum est. Praeterea aeger in respirando et in mutatione situs vehementibus pectoris doloribus vexatur, qui in spatio quinto intercostali prope lineam mamillarem maximi sunt. Lingua aegri multis epitheliis tegitur, aviditas edendi plane deficit; tribus diebus ante

aegrotus obstipatione laboravit; hac nocte haud magna copia mollium faecum dejecta est. Venter non inflatus est, meteorismus non exsistit. In epigastrio et in toto thorace helvolae, mirum quantum deformes maculae, quae multis modis inter se confluunt parumque super cutem prominent, conspiciuntur (urticaria). Praeterea in pectore et in ventre satis magnus numerus vesicularum parvarum, materia lactea expletarum cernitur. Aegroto judice hod exanthema e calore aptum fuit. Urina cominuta fuit copiaque urinae intra viginti quatuor horas redditae 150—300 c.c. Modo fuit flava, modo rubra, semper valde acris. Refrigerata urina nubila fit et quae in ea subsidunt, composita sunt ex acido urico. Numerantur singulis minutis 100 pulsus; in thorace quaedam percussio systolica spatii intercostalis quinti usque ad tertium; in spatio intercostali quinto elevatio systolica, in quarto inflexio systolica. Pulsatio cordis in spatio intercostali quinto animadverti potest prope lineam mamillarem in extensione unius digiti; manus in regione cordis posita elevatur.

Percussio magnam extensionem soni obtusi cordis prodit. Auscultatione percipitur in oriente pericarditide primus sonus, qui in mucrone cordis audiendus est, obtusus et asper; secundus interdum clare, interdum vix discerni potest. In spatio secundo et tertio strepitus systolicus auscultandus fuit, qui dici non

potest utrum fricans, an conflans sit. In regione costae tertiae sonus fricans percipiendus fuit. Meyer hac occasione strepitus pericarditidis esse animadvertit, qui ad conflationem magis inclinant. Ille plura ejusmodi exempla observavit. In aegro nostro fluidum pericardii magis magisque augetur et in mucrone cordis strepitus frictionis clarus ortus est. Magnis doloribus regio cordis laborat. Calor adauctus est, sudores copiosi. Ob dolores articulorum levis perunctio dimidae drachmae liquoris Hollandici facta est. Dolores quidem minuuntur, attamen post tres horas priore vehementia revertuntur. Dudum experientia nos docuit, liquorem Hollandicum brevi tempore molestias compescere, sed eas paullo post eadem, quin etiam majore vehementia redire. In nosocomio Gryphiswaldensi per aliquod tempus illud remedium multum usurpatum est, sed mox medici sibi persuaserant, liquorem Hollandicum adversus rheumatismum nihil prodesse. Tum saepe observatum est, simulatque hoc remedium semel vel bis adhibitum fuerit, vice tertia longe minorem effectum, quin etiam nullum exercere. Melior quidem successus liquoris chlorici esse videbatur. Sed eventus conceptae spei non respondit. Itaque aegro nostro propter plenum ac durum pulsum et vehementes contractiones cordis venaesectione instituta decem unciae sanguinis detractae sunt. Eodem tempore viginti hirudines in regione mucronis cordis collo-

catae sunt; quindecim grana hydrargyri chlor. mit. intra duodecim horas data sunt. Remedia fuerunt evidentissimo proventu, postero enim die manifesta fuit deminutio fluidi; strepitus fricans partim non jam perspicuus fuit, partim plane exstinctus est. Dolores pectoris remiserunt; pariter articuli multo minus dolorosi quam pridie, ut aegrotus pedes movere incepit. Tribus diebus praeteritis post hanc curationem insufficientia valvularum aortae exstitit, quod e strepitu diastolico intelligi potuit; postero die iterum exstincta est. Aeger nunc bene dormit. Sudores copiosi non redeunt, lingua rursus est humida et pura, faeces plane normales, urina subflava et copiosa; dolores articulares prorsus, ut aegrotus ait, leniti sunt. Quamvis morbus in bonum se verteret, tamen denuo insufficientia aortae valvularum exstitisse videbatur. Pulsus enim acceleratus est et strepitus diastolicus pro sono secundo cordis clare auditur. Pulsus celer nonnullis diebus praeteritis evanuit; insufficientia valvularum aortae eodem tempore exstincta videtur. Tribus diebus post strepitus diastolicus audiri nequit, duo cordis soni percipiendi sunt, tantum prior aliquid obtusi habere videtur. Aegrotus bene se habet et de nullis molestiis questus intra plures horas diei e lectulo excedit. Appetentia plane redit, excretiones normales sunt. Decem diebus post vir sanus dimissus est.

Hic morbus valde notabilis est tam ob symptomata auscultatoria quam ob therapiam. Meyer observavit, in hoc casu et in quinque aliis pericarditidem, simulatque primus sonus obtusus apparuerit exortam esse. Attamen etiamnunc ambiguum, num ille sonus item in nascente endocarditide auscultandus fuerit, necne?

Bamberger aliique medici contendunt, in initio pericarditidis saepe systolice conflantem strepitum in mucrone cordis vel in introitu aortae percipi. Caussa hujus strepitus ad hoc tempus nondum reperta est; verisimile est, illum diversis conditionibus effici. Bamberger sentit, mutatum sonum cordis musculorum vel resolutionem valvularum aortae creberrimam ansam illius mali dare. Systolicus vero strepitus non semper est conflans, sed saepe fricans vel scabens, et ambo strepitus accurate distinguere saepe difficile est, quomodo fit, ut strepitus endocarditicus a pericarditico discerni non possit. Ex morbi historia supra exposita, illud perspicue intelligitur. Meyer plures ejusmodi casus vidit et prima historia, quam enarravi, idem declaratur.

In specimine morbi modo relato celer pulsus respiciendus est, qui eodem tempore coortus est, quum symptomata auscultatoria insufficientiae aortae exstarent, neque amplius sentiri potuit, quum symptomata insufficientiae remota sint. Meyer eadem symptomata apud bajulum triginta annorum conspexit, qui rheumatismo

articulorum acuto affectus insufficientia valvularum aortae correptus est; apud illum signis auscultatoriis orientibus et jam antea celer pulsus sentiri potuit, qui insufficientia exstincta item decessit. Hoc symptoma ad affirmandam diagnosin magni foret momenti, si adhuc argumentis comprobaretur.

Hucusque vero de therapia illorum morborum, qui rheumatismum complicant, dixi; ad extremum igitur therapiam rheumatismi ipsius expositurus sum. Primum singulas methodos explicabo rheumatismum radicitus delendi. Gendrin et Brockley, tempore recentiore etiam Bacham, kalium et natrium magnis dosibus (1—2 unc. intra viginti quatuor horas) commendarunt. Ex sententia Vogelii illa remedia valde diluta (una unc. nitr. in una vel duabus libris aquae soluta) danda sunt. Simul medicus diligenter observare debet, quantum remedii urina removeatur, ne major ejus copia in sanguine accumuletur. Hac therapia calor, tumor dolorque articulationum minui dicuntur, itemque cor morbo non affici. Attamen alii observatores, ut Canstatt, hunc effectum nitri animadvertere non potuerunt. Ab aliis medicis insuper alia remedia contra rheumatismum articularem proposita sunt, ut natr. carbon. vel bicarb., liq. ammon. carb., magnes. ust. etc. Commoda aegrotis nunquam attulerunt. Idem de ammoniac. phosph. et de natr. phosph. dici potest. Porro succus citricus a Britannis

ad unciam dimidiam in dies praescriptus commendabatur. Fuller autem aetate recentiore illum ullo effectu esse negavit. Paullo post antimonialia optima remedia praedicata sunt, praecipue tartar. stibiat., qui tum copia mediocri adhibitus est (unum vel tria grana quotidie, solus vel nitro conjunctus), tum magnis dosibus (octo vel duodecim grana in dies) ordinatus est. Nullus tamen prosper eventus animadversus est, ut jam Dance nos docuit. Etiamsi hoc remedium in singulis casibus aliquam utilitatem aegrotis attulerit, tamen effectu specifico carere videtur et usus ejus tum modo commendandus est, quando vomitus et diarrhoea provocari debent. China atque chinium hoc tempore magnis dosibus (ad duas vel tres drachmas) administrantur et rheumatismum praecidere, quin etiam funditus exstinguere traduntur. Haec vero asserta non vera sunt atque adhibitio magnarum dosium gravia symptomata intoxicationis producit, quae magis timenda sunt quam ipse rheumatismus. Wunderlich omnes methodos censet praecise rejiciendas esse, neque eruditum medicum ad illam therapiam confugere, etiam si singuli prosperi effectus impetrati sint. Therapia ergo omnibus respondens indicationibus et habitum statumque aegri respiciens salubrior utiliorque esse videtur.

Primo morbi tempore aeger in aequa temperatione positus maximam quietem servare et abstinentia mo-

lestias suas mitigare debet. Quod attinet ad temperationem, calidior vitanda est, ne aegrotus in sudorem incidat copiosum, quo insuper inclinat; omnis ceterum aeris afflatus et refrigeratio quam diligentissime vitanda. Prosperum erit affectos articulos calidiores servare quam sanos. Si cutis calidissima est et pulsus valde frequens, usus herbae digital. opportunus est; si copiosus sudor et vexans sitis adsunt, acidi sulfur. parvae doses porrigi possunt. Ut jam supra commemoravi, articuli, si dolores sustineri possunt, integumentis laneis involvendi sunt; dolores si non tolerandi sunt, medicamenta adhiberi necesse est, quae plurima commendata sunt. Passim in clinico Ill. Frerichs liquor Holland. inunctus est, quod medicamen, quem effectum habeat, jam supra exposui. Porro nonnulli medici chloroformium aetheremque celebrarunt, quae tamen per aliquod tantum tempus prosunt; dolor mox redit. Wunderlich liquorem chloricum commendavit ad mitigandos dolores. In libro, qui est de pathologia et therapia, affirmat, illud remedium dolores removere vel magnopero lenire, quin etiam rheumatismum funditus exstinguere posse. Meyer idem medicamentum multum tentavit, nunquam is quidem praedicata illa commoda reperiens. Tantum id affirmat, hoc remedio in tempus longius quam ceteris medicamentis dolores summoveri, sed perfectam remotionem molestiarum nunquam impetratam esse.

Dolores per quinque vel sex horas mitigati eadem, qua antea erant, vehementia post hoc tempus redeunt. Etiam in nosocomio Gryphiswaldensi idem observatum est. Niemeyer tamen hoc remedium valde commendat, quoniam unicum sit, quo in tempus longius dolor leniatur. Sed haec hactenus.

VITA.

Natus sum Paulus Helbig die V mensis Januarii anni MDCCCXXXVII. in pago Silesiae, cui nomen est Gnichwitz, patre Antonio, jam diu morte mihi erepto, matre Paulina e gente Kuschel, quam adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Fdei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis domi instructus gymnasium Vratislaviense adii, quod adhuc Cel. Wissowa directore floret. Tempore autumnali anni h. s. LVII testimonium maturitatis academicae adeptus in universitatem litterariam Vratislaviensem discessi et ab Ill. Elvenich, rectore magnifico, in numerum studiosorum receptus apud Ill. Barkow, decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen professus sum.

Per duo deinde semestria audivi lectiones virorum Illustrissimorum Barkow, Braniss, Frankenheim, Grosse, Loewig, Roemer, Duflos.

Tempore autumnali anni h. s. LVIII almam petii Gryphiam ibique ab Ill. Haeser, rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. Budge, decano facultatis medicae spectatissimo, in album medicum inscriptus sum. Per tria semestria scholas frequentavi horum virorum Ill. Cel. Exp. Bardeleben, Budge, Grohé, Niemeyer, Haeser, Pernice, Huenefeld, Laurer, Muenter, Schultze, Ziemssen.

Tempore paschali anni h. s. LX Berolinum discessi, ubi Ill. Boeckh fasces academicos tenente apud Ill. Ehrenberg, gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, inter studiosos medicinae receptus sum. Per tria semestria scholas frequentavi Ill. Frerichs, Ill. Juengken, Cel. Traube, Ill. Langenbeck, Ill. Martin, Cel. Boehm, Cel. de Baerensprung, Cel. de Graefe, Exp. Ebert, Ill. Romberg, Exp. J. Meyer.

Quibus viris omnibus, de me optime meritis, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum adiectis thesibus palam defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Illam sententiam, varicellas formam variolae esse, rejicio.
2. Metastases non exstant.
3. Secale cornutum ante planam aperturam orificii uteri nunquam adhibendum.

